



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Ordo ministrandi sacram Communionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

De Materia & Forma.

Materia hujus Sacramenti duplex est : Panis usualis triticeus non fermentatus, & aquâ naturali confectus, una est respectu Corporis Christi conficiendi. Altera respectu Calicis : vinum de vite, five ex uvis maturis expressum, usuale, ac substantialiter, & absolute tale, cui modicum aquæ ex præcepto Ecclesiæ, & quidem graviter obligantis, admiscetur.

*Trident.
Sess. 22.
cap. 7.*

Forma consecrationis panis : Hoc est enim Corpus meum. Calicis verò hæc : Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

De Ministro.

Minister est solus Sacerdos; distributio tamen in casu necessitatis Diacono committi potest, quæ quidem si moralis sit, licet non extrema, sufficit.

Eucharistia, si detur ut viaticum, dari debet infirmo à proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, dum enim pro viatico administratur, est actus jurisdictionalis, spectatque ad jus pastorale, quod proin nemo alius sive sæcularis, sive regularis sine commissione usurpare audeat.

ORDO MINISTRANDI SACRAM Communionem populo sano tam in Paschate, quàm aliis diebus.

Sacerdos igitur SS. Eucharistiam extra Sacrificium Ministraturus, hostiis, seu particulis pro populi multitudine consecratis, lotis prius manibus, & superpelliceo, stolæque coloris officio illius diei convenientis indutus, sive retentis paramentis, & vestibus sacris, si celebrârit, præcedente clerico seu alio Ministro vinum ad purificationem eorum, qui communionem sumpturi sunt, præferente procedit ad altare manibus junctis, & accensis cereis, factâ prius, & postea genuflexione, extrahit ciborium seu pyxidem, & illam

*Finis tamen
niger nisi ta
men hinc ni
ger sui soci*

illam super corporale depositam discooperit. Minister genibus flexis nomine populi ad cornu Epistolæ facit confessionem generalem dicens: **Confiteor DEO &c.** tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum [advertens ne terga vertat Sacramento] & in cornu Evangelii dicit:

Misereatur vestri omnipotens **DEUS**, & dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Manu dexterâ in formam crucis communicandos signans.

Deinde ad altare se convertit, genuflectit, sinistrâ pyxidemprehendit, & duobus digitis pollice, & indice Sacramentum accipit, & elevat, conversusque ad populum in medio altari dicit clarâ voce:

Ecce Agnus **DEI**, ecce qui tollit peccata mundi (mox subdit) Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Quod iterum, ac tertio repetit.

Postea ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolæ: si tamen Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit SS. Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis primò præbeatur; Sacerdotes verò cum stola communicent: & dum unicuique porrigit Sacramentum, faciat cum eo signum crucis communicantem versus, super pyxidem, simulque dicat:

Clerici in suo habitu

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI
custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

*F. benedictio
ne data*
• Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si ali-
quod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem deponat, &
eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentū, abluat, & purificatorio
abstergat, ablutionem verò sumat, si celebraverit, aut iis, qui coñu-
nicârunt, sumendam tradat, ^{aut lacte in sacrarium effundit. f.} nisi prævie jam fecerit. Postea genu-
flectens reponat Sacramentum in Tabernaculo, & clave obseret.

Si verò communio populi sub missa fieret ab ipso celebrante im-
mediatè nimirum post suam communionem, tum Sacerdos sumpto
sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, extrahat ciborium, &
genuflectat, ministro interim faciente confessionem ut supra: ~~non~~
~~tamen~~ dabit benedictionem, quia illam in fine missæ dabit.

De Communione Paschali.

Parochus populo opportunè denunciet præceptum de Commu-
nionem annua, & constitutionem Concilii Lateranensis sub INNO-
CENTIO III. quæ sic habet:

Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad
annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata,
saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio
sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis
viribus studeat adimplere; suscipiens reverenter ad-
minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi
fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam
rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi
perceptione duxerit abstinentum; alioquin &
vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens
Christianâ careat sepulturâ.

Sequitur eadem constitutio, Germanicè versa, prout populo de
suggestu prælegi debet:

Ein jeder glaubiger Mensch/ so balder zu den
Tage